

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)



## Dominica I. Adventus.

*Evangelium Matth. 21. v. 1. -- 9.*

### EXORDIUM.

**Q**UUM Regum sapientissimus Salomo templum Hierosolymitanum construere secum constitisset, invocabat Dominum, ut mitteret sibi sapientiam de caelis sanctis suis, & à sede magnitudinis suae, ut secum esset, & secum laboraret, quod sciret, quid acceptum sit apud Dominum, Sap. 9. v. 10. 11.

*Hæc Mystice intelligenda veniunt.*

Templum Salomonis dudum funditus deletum est, semel per Nebucadnezarem Regem Babylonis, Jer. 32. v. 13. Deinde per Imperatorem Romanum Vespasianum, e jusq; filium Titum, quadragesimo post adscensum Christi anno, ut Eusebius testatur. Sed Servator noster Christus adhuc aliud habet templum, quod est Ecclesia, & quævis fidelis anima, in qua habitat, & quasi ignem & caminum habet, Jer. 31. v. ult. Unde Paulus: Vos estis templum Dei vivi, 2. Cor. 6. v. 16. Spiritus enim Dei habitat in vobis, 1. Cor. 3. v. 16.

Fideles Ecclesie ministri & Pastores sunt spirituales *architecti & fabri*, 1. Cor. 3. v. 10. constituti ad præparationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, Eph. 4. v. 12. sicut expressè domus Dei illa appellatur, 1. Tim. 3. v. 15, Heb. 3. v. 6.

Veluti igitur Salomo Dominum implorabat, ut sibi sapientiam caelitus mitteret, quæ secum esset, & laboraret secum: sic etiam Doctores & Pastores orationis oblivi sci non debent: sed tradant cor suum ad vigilandum diluculo ad Dominum, Sir. 39. v. 6. ut det sibi, cum omni fiducia loqui verbum suum, Act. 4. v. 29. Munus enim adeò arduum est, ut non sine causâ Paulus quærat: *πρὸς ταῦτα τις ἰκανός*; 2. Cor. 2. v. 16. Prætereà non exiguum momentum situm est in precibus auditorum, ut semen verbi divini bene cadat, & faciat fructum centuplum, in vitam æternam, Luc. 8. v. 8. quia neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. 1. Cor. 3. v. 7.

Ad hanc ecclesie structuram me quoq; indignum Deus vocavit, in hæc mihi concreditâ parochiâ meâ: Unde libenter lapides & calcem ejus ita adaptarem, h. e. conciones meas ita conciperem & proferrem, ut Majestaticum Dei nomen sanctificaretur, & ovicularum concreditarum salus meliori modo promoveretur; in id enim ante omnia incumbere debet fidelis Ecclesie Minister, ut ad captum Auditorum suorum attemperet sese, omnium se servum faciendo, quò plures lucrifaciat, 1. Cor. 9. v. 19.

Hactenus ex ordinariis Evangeliiis, *triplicem*

A

## Dominica I. Adventus.

2  
plicem querelam, triplicem Medelam, & triplicem Cautelam, ut notum est, pertractavimus. Quod quidem sine salutari emolumento plurimorum non factum esse, autumo, juxta illud Esa. 55. v. 10.

Quia verò ante octiduum cum Deo finem imposuimus huic operæ nostræ: Hodiè *σὺν θεῷ* aliud nunc pensum in gratiam vestri, Auditores Optimi! orfuri sumus. Et sicut pius Hipponensium ille Episcopus, Augustinus orat: *Domine da mihi nosse me, & nosse te.* Hæc duo nos in tractatione Evangeliorum meditabimur; ut discamus

I. *Ἀνδροπολογίαν* sive notitiam nostri; quis homo sit post lapsum, sive per naturam sive per gratiam Domini nostri Jesu Christi: Naturâ quidem filius iræ, & servus peccati: Gratiâ Dei autem & per Christum, filius & heres æternæ salutis.

II. *Χριστογνωσίαν*, sive notitiam Christi, quomodo homo cognitionem Dei & filii sui Jesu Christi hinc discere debeat, in quâ unice vita æterna consistit. Joh. 17. v. 3.

Jesu Servator! te da mihi nosse, deinde Memet nosse etiam: sic bene doctus ero.

### Exegetis.

Quemadmodum aliàs quotidie in Oratione Dominicâ petimus: Domine, *adveniat regnum tuum.* Sic hodiè cum devotione piâ idem nobis repetendum est, quia hodierna Dominica ab *Adveniēdo* nomen habet, & *prima Adventus* dicitur. Ubi Christus Servator noster, asino mutuo, tanquam Rex filiz Sion Hierosolymam ingrediens, nobis meditandus proponitur. Cum enim appropinquassent Hie-

rosolymis, & venissent Bethphage, ad montem Olivarum, tunc Jesus misit &c.

Hinc ansam capimus, *Ἀνδροπολογίαν* sive notitiam nostri perdiscere, quando in tuemur

I. *Discipulorum obedientiam.* Mandatum Christi de solvendâ asinâ satis absolum Discipulis videri potuisset: attamen sine ullâ tergiversatione illud expediunt: Euntes enim discipuli fecerunt, sicut præcepit illis Jesus. Si cum carne & sanguine deliberatum illi ivissent, plurima obstacula ipsis remoram injicere potuissent. Prætendere potuissent, neque sese Dominum asinâ, neque possessorem semet nosse, quod indecorum videretur, si asinam insalutato hospite auferre vellent, quod facile periculum aliquod incurrere possent.

Sed has & similes rationis affectiones seponunt, & cogitant, *αὐτοὶ ἔρα*, nostrum proinde erit debitam ipsi obedientiam præstare, & morem gerere, prout jubet.

*Hic velim probeste, mi Christiane! utrum tu quoque ejusmodi obediens Christi discipulus exstiteris, ejusq; mandato fideliter inhaeris, licet forte rationi adversum fuerit visum?*

O terq; quaterq; beatos nos, si hoc ita observaremus, juxta illud: Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei estis, Joh. 8. v. 31.

Sed magna hic occurrit diverfitas! Inveniuntur enim hîc *Thomistæ*, qui rationi inhiant, & quando Christus quicquam in verbo suo mandat, quod sibi repugnare videtur, fidem ei denegant, cum glossis suis pervertunt, nec aliter recipiunt, quàm quatenus rationi suæ congruere videtur. Sic justificatur sapientia à filiis suis, Luc. 7. v. 35.

Sed